



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De quantitate aquæ, quæ apponitur. 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

cessitate passionis : sed ad demonstrandum effectum passionis, qui est ablutio à peccatis, & refrigerium contra ardorem concupiscentiæ. Et ideo aqua non seorsum offertur a vino in sacramento, sicut vinum offertur seorsum à pane. Sed aqua offertur vino permixta : ut ostendatur quòd vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tanquam de eius necessitate existens : aqua autem secundum quod adiungitur vino.

Ad tertium dicendum, quòd quia admixtio aquæ ad vinum non est de necessitate sacramenti, non refert quantum ad sacramenti necessitatem, quacumque aqua misceatur vino, siue naturalis, siue artificialis, ut rosacea. Quamvis quantum ad convenientiam sacramenti, peccet qui aliam aquam miscet, nisi naturalem & veram : quia de latere Christi pendens in cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, ad ostendendum, quòd corpus Christi erat verè compositum ex quatuor elementis : sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quòd erat compositum ex quatuor humoribus, ut Innocentius Tertius dicit in quadam decretali *. Quia verò admixtio aquæ ad farinam, est de necessitate huius sacramenti, utpote constituens substantiam panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua : non posset ex eo confici sacramentum, quia non esset verus panis.

In decre.
li. 3. tit. 41
c. 8.

ARTIC. VIII.

Utrum aqua debeat in magna quantitate apponi? 439

AD octavum sic proceditur. Videtur, quòd oporteat aquam in magna quantitate apponi. Sicut enim sanguis de latere Christi sensibiliter fluxit, ita & aqua. Unde dicitur Ioann. 19. Qui vidit, testimonium perhibuit. Sed aqua non posset sensibiliter esse in hoc sacramento, nisi in magna quantitate poneretur. Ergo videtur, quòd aqua debeat apponi in magna quantitate.

4. dis. 11.
q. 2. a. 4.
q. 4. c. 1.
Co. 11. 16.
6. col. 5.

¶ 2. Præ-

¶ 2 Præterea, Parua aqua multo vino admixta, corrumpitur. Quod autem corruptum est, iam non est. Ergo idem est apponere parum de aqua in hoc sacramento, & nihil apponere. Sed non licet nihil apponere. Ergo non licet parum apponere.

¶ 3 Præterea, Si sufficeret parum apponere, per consequens esset sufficiens, quòd gutta aquæ in totum dolium proijceretur. Sed hoc videtur ridiculum. Ergo non sufficit, quòd parua quantitas apponatur.

SED contra est, quod extra de celebratione missarum dicitur *, Perniciosus in tuis partibus inoleuit abusus, videlicet quòd in maiori quantitate de aqua in sacrificio ponitur, quàm de vino: cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino quàm de aqua ponendum.

RESPONDEO dicendum, quòd circa aquam adiunctam vino, sicut Innocentius Tertius * dicit in quadam Decreta. triplex est opinio. Quidam enim dicunt, quòd aqua adiuncta vino per se manet, vino conuerso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest: quia in sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi corpus & sanguis Christi (sicut enim Amb. † dicit in li. de Officijs, Ante benedictionem alia species nominatur: post benedictionem corpus Christi significatur): alioquin non totum adoraretur veneratione latræ. Et ideò alij dixerunt, quòd sicut vinum conuertitur in sanguinem, ita aqua conuertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest: quia secundum hoc, aqua seorsum consecraretur à vino, sicut vinum à pane. Et ideò sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam conuerti in vinum, & vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua, quòd conuerteretur in vinum. Et ideò semper tutius est parum de aqua apponere, & præcipue si vinum sit debile: quia

*in dec. l.
3. tit. 41.
c. Perni-
ciosus.*

*de celeb.
miss. c. cū
Matt. 9.
Quasiui-
si.*

*in lib. de
his q. my-
sterijs in-
stitur, c.
9. à me.
10. 4. c.
hētur de
sōsec. di.
2. c. 40.*

quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solueretur species vini, non posset perfici sacramentum. Vnde Iulius Papa * reprehendit quosdam, qui pannum lineum multo intinctum, per totum annum seruant, & in tempore sacrificij, aqua partem eius lauant, & sic offerunt.

Ad primum ergo dicendum, quod sufficit ad sacramenti huius significationem, quod sentiat aqua, cum apponitur vino: non autem oportet, quod sit sensibilis post mixtionem.

Ad secundum dicendum, quod si aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur significatio. Sed cum aqua in vinum conuertitur, significatur quod populus Christo incorporatur.

Ad tertium dicendum, quod si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem huius sacramenti. Sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti.

QVÆST. LXXV.

De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de conuersione panis, & vini in corpus & sanguinem Christi.

¶ Et circa hoc quaeruntur octo.

- ¶ Primo, utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem, an solum secundum figuram, vel sicut in signo?
- ¶ Secundo, utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis, & vini post consecrationem?
- ¶ Tertio, utrum substantia panis vel vini post consecrationem huius sacramenti annihiletur, aut in pristinam materiam resoluatur?
- ¶ Quarto, utrum panis possit conuerti in corpus Christi?
- ¶ Quinto, utrum in hoc sacramento post conuersionem remaneant accidentia panis & vini?
- ¶ Sexto, utrum facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis?

¶ Se-

*Iulius P.
scribendo
epif. per
Ægyptiū.
& hatur
de conse.
dis. 2. ca.
cū omni
crimen.*